


QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis trigesimâ primâ Decembris 1705.

M. LUDOVICO GUILLOT DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An Asthmati sudorifica?

I.



NASCENTEM hominem, fieri morborum omnium prædam, nemini non compertum est. Corporis humani machina, variis & innumeris propemodum instructa est organis, ex quibus, nullum reperias, quod suo non possit modo non labefactari. Quò gravioribus obeundum muneribus destinatum est aliquod organum, eò gravioribus morbis obnoxium magis evadit. Cætera inter organa, si cor excipias, pulmonem esse præcipuum, jure dixeris. Simplex non est viscus, sed coagmentatum est bronchiis, arteriis, nervis, venis, vasis lymphaticis, & vesiculis benè multis. Is est pulmonis usus, ut citra illius auxilium, vivere homo non possit. A pulmone totum pendet respirationis opus, cujus utilitatem, qui spirare incipit, novit. Respirationis ope, promovetur sanguinis circuitus, quod pulmonum vesiculæ, torcularis instar, gravanti aëre repletæ urgeant, & impellant in sinistrum cordis ventriculum, allabentem è dextro ventriculo sanguinem, qui par-

ticularum suarum attritu indesinenter concutitur. Inde major sanguinis fluiditas, vegetior motus,& sanguis pulmones permeans, aëreas vehendo particulas, stimulum sui motus, per omnes corporis partes vehit. Fovetur respiratione fermentatio, cæteris functionibus subsidium affertur. Eâdem læsâ idem circuitus sanguinis impeditur, crassescit sanguis, languent functiones omnes, imo & prorsus concidunt. Duplici inspirationis, & exspirationis motu respiratio perficitur; illo vitæ flatus sanguini suppeditatur; hoc fuligines ejusdem amandantur. Duobus maxime læditur modis, per idiopathiam,& sympathiam.Si vitiatus sit pulmo inflammatione, abscessu, ulcere, ἀτροφία, aut ejus spongiosa, & mollis substantia sit humore seroso & pituitoso referta, vel similibus, quæ liberum aëris commercium impediant, per idiopathiam læditur respiratio. Per sympathiam vero, si partes vicinæ, vel remotæ aliquo vitio laborent, v. g. si plevra, musculi laryngis, & diaphragmatis, inflammationem patiantur; si sanguis majori fermentatione æstuet, & excandescat; si inflictum sit vulnus musculis respirationi dicatis; aut tumor aliquis subortus; aut pus vel aqua in cavitatem thoracis effusa fuerint; si adsint in liene, hepate, & pancreate tumores; si intra intestina flatus sint generati.

II.

INTER prædictas læsæ respirationis species, vix ulla atrocius Asthmate sævit. Prout se intendit,varia sortitur nomina. Si leve vitium est, sine sibilo, & stertore, dyspnœa dicitur. Ubi vehementius malum est, nec possunt spirare ægri, sine stertore, & sybilo, Asthmatis nomen retinet. Quod malum si ita crevit, ut nisi erecto corpore, & erectâ cervice trahi spiritum sinat, Orthopnœa appellatur. Rursus dividitur, in humidum, & siccum. Humidum est Asthma, cum serosi humoris fit facilis evacuatio, eo quod illo humore seroso ex partium sulphurearum instertitiis expresso relaxantur tunicæ vasorum, & vesicularum, effunditurque humor in earum cavitatem, inde per os foras expellendus. Siccum vero est, cum nullatenus humor serosus erumpit,& tunicæ vasorum,& vesicularum magis ac magis comprimuntur,quibus alterum cum Willisio ideo convulsivum potest adjici, quod graves asthmatis paroxysmos sine ingenti labe pulmonum accidisse observaverit; quod paroxysmo finito, & priusquam incœperit, respiratio libera, & æqualis extiterit; nullaque tussis, aut morbificæ pulmonum dispositionis signa prodierint. Et reverà, convulso diaphragmate, exspiratio minime potest perfici; siquidem ad exspirationem requiritur diaphragmatis laxitas, sine quâ thorax contrahi non potest. His positis, Asthma propriè dictum bene definieris, frequentem, & crebram spirandi difficultatem, cum sibilo, & stertore absque febre. Hoc in morbo, pulsus est imbecillis; vires prostratæ; cor quandoque palpitat; & respiratio adeo molesta est, ut æger suffocari videatur, & erecto corpore ad trahendum spiritum nitatur. Periculosus admodum est ille morbus, si ingravescere illum sinas; ubi enim altiores egerit radices, nequidquam debellare illum tentaveris, quod longiori morâ concrescant in pulmonibus calculi, aut tubercula, quæ nulla vis valet eradicare. Huic morbo obnoxii sunt senes, quod firma non habeant latera, ad materiæ, cujus fit συναθροισμός, exclusionem; Illi omnes, qui vel otio, vel naturâ, vel victus intemperantiâ redditi sunt ignaviores. Hiberno magis quam æstivo tempore excitari solet.

III.

ASTHMATIS differentias perspectas jam habes. Symptomata, quibus stipatur ille morbus, cognoscis. Causas perscrutari operæ pretium est. Duplicis generis sunt, ut in cæteris morbis, remotæ, & proximæ. Proxima causa versatur

in anguſtiis & obſtructionibus bronchiorum , & veſicularum , propter quas , perexigua ſolummodo aëris pars trahi , & rejici poteſt ; quæ cum non ſufficiat ad promovendum ſanguinis circuitum , reſpirationis organa frequenter , & aſſiduè moventur , ut quod debitæ aëris copiæ deeſt , celeri , & crebrâ reſpiratione compenſetur. Hæ viarum , per quas ſpiritus evadit , anguſtiæ , à quadruplici fonte oriuntur. Primus , à ſanguine craſſo & viſcido , qui cum difficili negotio vaſa pulmonum trajiciat , moram in iiſdem trahit , cujus occaſione compreſſis veſiculis , ductibuſque bronchialibus emittitur ſeroſus humor , quò veſiculæ velaxantur. His relaxatis , in veſiculas pulmonares , & ductus bronchiorum effunditur idem ſerum , quod in illis incluſum magis ac magis craſſeſcit , & ſpirandi difficultatem movet , quæ tantò gravior eſt , quo & ipſæ viæ magis coarctantur. Secundus inducitur à tuberculis , aut concretionibus ſchirroſis per pulmonum ſubſtantiam diſſeminatis , veſicularumque , aut bronchiorum calloſitate , aut obſtructione , à concretionibus lapideis orta , quales in ſecto cadavere ſe reperiſſe teſtatur Diemerbroech. His enim , veſiculæ , uti prius dictum , aëriſque ductus comprimuntur , retardatur ſanguinis circuitus , idem congeritur in vaſis pulmonaribus , unde difficultas reſpirandi , quæ ſenſim , & gradatim augetur , pro variis motibus , quibus corpus exercetur. Tertius arguit bronchiorum , aut veſicularum convulſionem , ex quâ ideo ſequitur affectus aſthmaticus , quod factis ſtrictioribus aëris canaliculis , ab ejuſdem ingreſſu impedito , difficultatem reſpirand ſuboriri neceſſe eſt ; non ſecus ac à vapore ſulphuris inſpirato , non ſine ſuffocationis metu , attrahi aërem poſſe quiſquis experitur. Quartus demum diaphragmatis convulſionem , ejuſdem vitii cauſam , ex eo agnoſcit , quod cum reſpiratio in ſtatu naturali perficiatur reciproco diaphragmatis , ſeſe contrahentis , & relaxantis niſu , ſequitur eodem convulſo , in perpetua dilatatione permanere pectus , & ita præpediri reciprocum inſpirationis , & exſpirationis motum. Inter cauſas remotas , exceptis omnibus externis , unam admiſeris ; nempè cruditates in ventriculo & inteſtinis genitas , quæ ſimul cum chilo ſanguini commixtæ craſſitiem illi conciliant , & viſciditatem , à quâ procedit morbus.

I V.

QUÆRIS artes , quibus agrotantem , gravi & moleſto affectu eximas ? Nocendi materiam morbo ſubſtrahe. Vitentur alimenta dyſpepta , ut bubula , ovilla , ſuilla ; omnis cacochymia ; ut & ea quæ tenſionem facere nata ſunt , qualia flatuoſa ; fructus , olera , & quæcumque cruditates in ventriculo faciunt , à quibus nova morbi labes accederet. Sed optimam inſtitue victus rationem , cibos euchimos , & facilis coctionis , qui humoris ſeroſi proventum inhibeant. Si vini potum conceſſeris , tenuius eligito ; craſſum enim & auſterum meatus interciperet. Ad pulmones concurrunt humores , qui comprimunt veſiculas pulmonares , à quibus tota morbi tragædia. Eos , ſi poſſis evoca. Ad id maximè conferet venæ ſectio , cujus ope deplentur vaſa , liberior redditur per pulmones ſanguinis circulatio , ejus principia fermentativa evehuntur , major nitri aërei copia ſuppeditatur ; unde ejuſdem major attritio , diviſio , & fluiditas , ceſſatque compreſſio veſicularum , quâ ceſſante , facilior eſt reſpiratio. Primæ viæ ſaburrâ acidâ , & crudâ infarctæ ſunt ? ad purgantia ſive cathartica , ſive emetica , te confer ; his crudæ , & indigeſtæ materiæ circa ventriculum aggeſtæ vacuabuntur ; iiſdem , ſanguinis viſcidi recrementa , in pulmones urgeri , aut reſtagnare apta , vehementer exprimentur , & foras amandabuntur ; neque inter hæc omiſeris cætera remedia , quæ

ſerum ad urinam deducant ; quo nomine frequentis uſus ſunt pulveres teſtacei, mille pedum reparata. Non inutilia etiam ſunt, quæ tracheæ ductus aperiant, & expectorationem promoveant ; qualia ſunt tabellæ ex enulâ campanâ confectæ, ſyrupi capillorum veneris, hyſſopi, tuſſilaginis, marrubii, apozemata omnia pectoralia ; quin & ipſum Galli veteris decoctum, cum pharmacis alterantibus, ejus ventri inſutis.

V.

PRIMIS viis, ut decet, expurgatis, & venæ ſectione pro viribus ægri, inſtitutâ, ne ſanguis craſſior factus, propter majorem molem, nimiâ copiâ ad pulmones jam infarctos deferatur, cujus occaſione tanta fieret compreſſio, ut ſuffocatio ſequeretur; vix ullum inveneris remedium aptius ſudorificis, qualia ſunt juſcula viperina, ſpiritus formicarum, ſalia volatilia cornu cervi, crani humani, ſpiritus volatiles ſuccini. Sint enim de genere alkalium, ſint de genere acidorum, ſanguineæ moli attenuandæ comparata ſunt : ſive alkalium ſuperficiem echinatam ſpectes, ſive acidorum tenuitatem ; ſtamina partium ſulphurearum diffringunt & fermentationem cum partibus acidis aut alkalinis, in iiſdem ſtaminibus contentis ſuſcipiunt. Tum ſua reſtituetur ſanguini fluiditas, ſuo pondere liberabuntur pulmones, elaterem amiſſum reſument, eorum ſubſtantiam facilius penetrabit aër, cujus admixtione ſanguis tenuior factus partes omnes colluſtrabit, & reficiet; quæ viſcida hærent, incidentur ; quæ craſſiora altius infiguntur, attenuata per diaphoreſim foras amandabuntur aut diureſim, quæ hiſce in caſibus infida non eſt. Aſthmaticis enim dyſuria ſuperveniens bonum, ceſſante derepente dyſuriâ, denuò corripiuntur. His ſi non credis, eos conſule, qui aut paralyſi, aut rheumatiſmo detenti, aquas thermales in uſum adhibuerunt, quarum ope, cæteris omnibus remediis fruſtrà tentatis, diaphoreſi excitata, ad ſanitatem fuerunt feliciter perducti.

Ergo Aſthmati ſudorifica.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Honoratus Michelet, Regis Hiſpaniarum primarius Medicus.	*M. Armandus Joſephus Collot.*	*M. Dionyſius Dodart, Sereniſſimæ dotariæ Principis de Conty, Medicus ordinarius, & Regiæ Scienciarum Academiæ Socius.*
M. Joſephus Pithon Tournefort, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, & in horto Regiò Profeſſor Botanicus.	*M. Philippus Caron.*	*M. Petrus Creſſé.*
M. Andreas Creſſé.	*M. Ambroſius Nicolaus Chemineau.*	*M. Alexander Michaël Denjau.*

Proponebat Pariſiis SALVATOR CLUSCARD, Albienſis, Baccalaureus Medicus. A.R.S.H. 1705.

Apud Viduam Franciſci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typog.